



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

N. Seccouiensis n. 36

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

31. A PADERBONENSI *Antistite ex Prouincia Rhenana existimante*, Ex nostro Collegio quasi ex quodam Reipublicæ Seminario piorum, & eruditorum virorum examina proditura, qui sincera imbuti doctrina Ecclesiæ ruinas restituant. *Ita in Liter. annuis Soc. ann. 1596. fol. 275.*

Societatis  
Collegia  
Reip. Se-  
minaria ad  
Ecclesiæ  
ruinas re-  
stituendas.

32. A QUITENSI *In Peruuo, diploma Regium impetrante, ne aut ipsius obitu, aut villa rerum commutatione, vel Capitulo, vel ei, qui sibi successisset, quidquam immutare liceret eorum, quæ ad Seminarij regimen cum Societate transegerat. Et quidem nihil sibi opportunius accidisse existimabat ad dicti Seminarij utilitatem, quam Societatem illius administrationi presuisse. Sic Ibid. fol. 895.*

Quitensis  
Episcopi de  
Societate  
existimatio-

33. A BELGICIS *Antistitibus afferentibus, & planè fatentibus, Seminarium Religionum Societatis Scholis contineri. Elogium breve, sed grande admodum. Ita in liter. Annuis Soc. ann. 1600. fol. 519.*

Eius Scho-  
la Religio-  
num semi-  
naria.

34. A VENSIENSI, *Tanti vel Societatis Sodalitates existimante, ut diceret: Plus se gloriari, quod scriptum nomen Sodalitati nostræ haberet, quam Mithra sua, & Episcopatu. Ita in liter. annuis Soc. ann. 1602. fol. 318.*

Et Sodali-  
tibus in-  
scribi insu-  
la glori-  
ficius.

35. AB AVGVST. BARBOSA *Episcopo Ugentino Scriptore Lusitano ubique gentium Iurisconsulto celeberrimo: In Hæreticis (inquit) & infidelibus ad Catholicam fidem reducendis, & maximè in remotissimis regionibus, plurimum, & laudabiliter elaborarunt strenuissimi huius Sanctæ Societas milites. Hæc in sum. decisione. Apostol. Collectan. 169. num. 23.*

Socij in  
Hæreticis  
& infidel-  
bus redu-  
cendis mi-  
lites stre-  
nuissimi.

36. A SECCOVIENSI, *Pro concione non semel dicente, quam vtile futurum Ciuitati Plagenfurensi, si in ea Societatis Collegium exigeretur pro iuuentutis institutione, quam felices cuiuscumque conditionis personæ, dum in suis necessitatibus Nostrorum consilio, auxilioque frui liceret: qui nullo facto discrimine, in captiuos, pauperes, ægrotos, quæcumque charitatis opera, tam benigne soleant exercere. Ita in*

Societas  
vtilis Reip.  
ad iuuen-  
tutis insti-  
tutionem.

Et ad om-  
nia chari-  
tatis opera.

*Annal. Soc. ann. 1604. fol. 545. Et postea fol. 547. additur de Eodem Antistite, quod quamvis ille nostrorum aduentum multum desudarit in concionibus habendis, tamen vel uno praesente, nullis precibus potuit adigi, ut Cathedram concenderet, affirmans, se vbique locorum hoc muneris Societati semper detulisse, ac deferre velle, quin etiam, si esset in consensu cathedralæ, tamen audiens ex nostris adesse Concionatorem, se paratum fore loco cedere. O ingens Societatis estimatio?*

*In concio-  
nandi mu-  
nere pre-  
lata à Pa-  
store.*

*Eius disces-  
sus grauior  
ciuitatis  
iactura.*

*Et qui ob-  
ligaret ad  
Episcopatu-  
s abdica-  
tionem.*

*Societas  
contra ma-  
leuolorum  
linguas  
protecta.  
Et asti-  
mata ab  
Episcopo  
Baranovio.*

37. A FERDINANDO TREJO. Franciscano Episcopo Tucumanensi, qui Concione ad Templum aduocata, multis Vrbis iacturis enumeratis, Nullam, dixit, adeo grauem ciuitati (videlicet S. Iacobi del Estero eius Cathedrali) posse contingere, nec quam ipse magis pertimesceret, quam si Nostri, ut ipse subodorabatur, Vrbem desererent. Sic Ibidem fol. 278. & in Annal. eiusd. Soc. ann. 1606. fol. 223. additur, Eundem Antistitem pallam afferuisse, Si Societas Prouincias illas desereret, illico se suo Pontificio munere abdicaturum. Tanti fecit Illustiss. hic Praeful Societatem nostram, ac præcipue Prouinciam hanc, in qua haec scribimus: quin corpus suum in nostro Cordubensi Templo humari voluit, ut quem viuens habuerat, vel mortuus testaretur amorem.

38. AB ALBER. BARANOVIO Episcopo Pultouensi, in Cittauie ampliorem Episcopatum discessuro, dum in resectorio unus è nostris totius nomine Collegij valediceret, & gratias ageret, quod in publico Regni conuentu nomen Societatis contra maleuolorum linguas protexerit, subintulit laudatissimus Praeful: Quidquid fecisset, minus laude nostra esse: quæcumque in se bona animaduerteret, quæcumque in administrando Officio præstisset, ea omnia ex nostrorum omni obseruatione digna cura, & studio profecta. Insuper in defensione Ordinis Nostri ubicumque locorum esset, effusè liberalem futurum Patronum. Hæc ille lacrymans dicebat. Ita in liter. Annuis Soc. ann. 1607. fol. 468.